

wardo Primo, militari laude florens titulum Comitatus Angulæ in Scotia uxorio jure consequutus. Hæres vero *de sanguine* (ut loquuntur Iuridici nostri) tandem in familia de *Taleboys* elocata fuit: posteaque ad Bedfordiæ Ducem Principis munificentia hoc castrum devenit.

Sed ut ad Murum pedem referamus. A S. *Oswaldes*, duarum munitionum, quas *Castlefeedes* appellant, fundamenta in muro cernuntur, deinde locus *Portgate* dictus, ubi portam fuisse in muro vis verbi in utraque lingua ostendit. Sub hoc interius est *Halton-ball*, ubi floret & vetustatis, & virtutis militaris gloria *Carnabiorum* familia, & juxta sedet *Aidon-castle*, quæ fuit pars Baronie Hugonis illius *Balliol* quem dixi. Cur vero hoc nomine *Aidon* plura loca ad murum insigniantur, eodemque Ala militaris sive Equitum ordo Britannice significetur, cujusmodi plures per Muri longitudinem sua (ut ex Notitiarum libro constat) olim habuerint stativa; perpendat lector, si non inde hoc nomen locis istis fuerit impositum, perinde ac *Leon* oppidis, ubi legiones sua castra tenuerunt. Cæterum juxta effossum fuit fragmentum antiqui lapidis, in quo exprimitur effigies decumbentis in lecto, sinistra innixi, dextra dexterum genu tangente, & hæc leguntur:

NORICI. AN. XXX.
--ESSOIRVS MAGNVS
FRATER EIVS
DVPL. ALÆ
SABINIANÆ.

M. MARI
VS VELLI
A LONG
VS AQVI
S HANC
POSUIT
V. S. L. M.

Exterius *Pont* fluvius scatenus, & defluens juxta *Ferrywick-ball* habitationem claræ & militaris *Ferrywickorum* familie per aliquot milliaria muro prætenditur, & in suis ripis pro præsidio habuit cohortem primam Cornavorum ad PONTEM ÆLII, ab Ælio Hadriano constructum, nunc *Ponteland* dictum, ad quem Henricus Tertius & Rex Scotorum anno CIOCCXLIII pacem sunt pacti; & juxta hunc Cohors prima Tungrorum ad *Borwick* egit, qui in Notitia Provinciarum BORCOVICVS dicitur. A *Portgate* procurrit murus ad *Waltowne*, quam, cum nomini significatio consonet, & XII mill. pass. ab Orientali Oceano abfit, eandem credimus esse Villam Regiam, quam AD MVRVM vocat Beda, in qua Segbertus Orientalium Saxonum Rex baptismo in Christi Ecclesiam à Paulino in situs. Huic vicinum est propugnaculum Vetus, *Vinchester* nominatum, VINDOLANAM libenter credo, quam Cohortis IIII Gallorum olim limitaneam fuisse stationem docet liber ille Notitiarum. Et inde *Rouchester*, ubi præsidarii castri, quod Muro adjunctum fuit, expressa quadrata forma vestigia planissime conspeximus. Iuxta *Headon* cernitur, quæ fuit pars Baronie Hugonis de *Bolebec*, qui maternum genus à Baronibus clarissimis de *Monte-fixo*

deduxit, filiasque solummodo procreavit, quæ cum Radulpho Domino *Greistocke*, I. *Lovello*, *Huntercombo*, & *Corbetto* matrimonia contraxerunt.

Iam ubi Murus & *Tina* fere coeunt, *Newcastle* urbium in hac plaga ocellus præluet, portu nobilis, quem *Tina* efficit, sua profunditate naves valde magnas admittens, & ita defendens, ut nec tempestatibus facile jactari, nec vadis afflicti possint. Situ acclivi, & admodum inæquali sedet ad borealem ripam fluminis, quod pulcherrimo ponte conjungitur, cui ingredienti ad sinistram impendit castrum, postea clivus præceps, ad dextram forum, & ædificiis pars urbis potior, unde haud facile ascenditur in partem superiorem, quæ multo est amplior. Ecclesiis quatuor ornatur, Mœnibus armatur firmissimis, quæ septem portis patent, crebris turribus interjectis. Quodnam olim fuerit, in comperto non est. GABROSENTVM, facile judicari, cum ejus quasi suburbium *Gates-head* illud Britannicum nomen à capris deductum, sua significatione exprimit, ut ante dictum. Gabrosentum etiam & in eo Cohortem secundam Thracum statuit Notitia Provinciarum ad lineam Valli. Vallum autem & Murum per hanc urbem duxisse certo est certius, ad *Pandon* portam superest una, ut creditur, è turriculis illius Muri, certe & opere & forma ab aliis diversa magnam præ se fert vetustatem, nomenque *Monk-chester* præsidarium fuisse castrum mihi persuadet. Sic enim à Monachis vocabatur, cum Normanicum imperium inciperet, statimque à Novo castro, quod Robertus Guilielmi Normanni filius extruxit, hoc novum nomen *Newcastle* induit, magnaque paulatim incrementa cum maritimis Germanis contrahendo, & fossiles carbones, quibus regio abundat, in alias Angliæ partes subvehendo cepit. Edwardo Primo rerum potente, civis quidam opulentissimus è media urbe à Scotis captivus abreptus, cum se magna pecuniæ vi redemisset, urbem primo quoque tempore præmunire cœpit. Reliqui vero cives ejus exemplo commoti opus peregerunt, & mœnibus munitissimis undique obseperunt. Ex quo tempore adeo secure & hostium & prædonum, quibus vicinia scatebat, minas eludit, & mercaturam exercuit, ut commerciorum frequentia, & opibus sit jam florentissimum, quo nomine in Comitatum *per se incorporatum* Henricus Sextus instituit. Distat à primo meridiano XXI part. xxx scrup. ab Æquatore Arcticum versus LIV grad. LVII scrup. De suburbio *Gates-head*, quod ponte conjungitur, & ad Dunelmensem pertinet Episcopum, superius diximus. Hanc ob situm & carbonum fossilium copiam, quorum magnus est usus, & quibus luculentos focos magna pars Angliæ & Belgii debet, ita in suis Britannia Urbibus dilaudat Ionstonus:

NOVUM CASTRUM.

Rupe sedens celsa, rerum aut miracula spectat
Naturæ, aut solers distrabit illa aliis.

Sedibus æthereis quid frustra queritis ignem?

Hunc alit, hunc terra suscitât ista sinu.

Non illum torvo terras qui turbine terret;

Sed qui animam terris, detque animos animis.

Eliquis.

Newcastle upon
Tine.

Gabrosentum.

Portgate.

Aidon.
Aden.

Penwick.

Pons
Ælii.

Ponteland.

Borcovicus.
Borwic.
Walton.
Ad murum.

Windolana.
Old Winchester.

Baronia
Bolebec.